

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0612

0610

0616

0606

0621

0601

0661

0561

0711

0511

1111

0111

Ende

Anfang

39

mandati transgressionem. O, quam bene est illis peregrinis, qui in alio littore sunt, quam secure stant? O Domine Deus, non me quaeso demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Et hoc dicto crucis signo me munivi et in aquam resili fortissime, manibus et pedibus trahens per medium fluminis, et sine impedimento ad aliud littus perveni. Et statim assumpto scapulari habitu ordinis mei, singulare votum feci, quod numquam amplius, quamdiu in humanis ero, volo me elongare ad tantum spatium ab habitu ordinis mei, quia ista elongatio fuit mihi molestissima, et ipsa submersio intolerabilis mihi videbatur sine habitu, in habitu vero multo minus curassem. Si ante transnationem deliberassem et factum considerassem, pro nulla re mundi transnatassem. Scio bene, quod doctores, tam theologi quam juristae, dicunt, quod religiosus debet tenere habitum suae religionis, sive in lecto quiescens, sive alibi consistens, nisi sit adeo urgens necessitas, vel gravis infirmitas, quae habitum non pateretur. XX. q. 1.; alias peccat mortaliter. Et si religiosus temere sine habitu appareat in conspectu (197 A) saecularium, ipso facto excommunicationem incurrit, ut in cap. Periculosa. et ne de. vel mo. lib. VI. In hoc grande periculum incidi indeliberate. Porro praefatus peregrinus solus jam stabat, nudus, timore plenus, turbatus, facie pallida; quidam autem Sarracenus in equo forti ascendit longe sursum ad vadum Jordanis, et reduxit illum ad nos, cui aurum non modicum dedit pro pretio. Ante casum illum fuit peregrinus ille pulcher facie, robustus, et praesumptiosus, et litigiosus, et multis odiosus; sed reductus fuit nobis totaliter alteratus, facie pallida, tremulus, humilis, obsequiosus, et mansit semper deinceps tristis, et quasi dejectus; vix credo eum multos annos vixisse.

Alium casum referam, cui quidem non interfui, sed a fide dignis audivi. In anno intermedio inter meam primam peregrinationem et secundam navigaverunt ad terram sanctam multi nobiles de Alemannia; quidam autem de majoribus coquam secum duxit, qui nescius praesensit suum periculum, per totum enim iter solebat dicere, quod nihil in illa peregrinatione timeret, nisi Jordanem. Cumque ad Jordanem venisset